

Codice scheda: ASC A4580320 (Microscheda: 3998B1/2)
Luogo e data: TORINO - 26/01/1898
Autore: RUA MICHELE
Destinatario: COOPERATORI SALESIANI E BENEFATTORI
Classificazione: Rua: Circolari, direttive, documenti
Tipo documento e supporto: Circolare - Stampa tipografica
Autenticità: Copia

Contenuto: Chiede ad alcuni sacerdoti se possono celebrare delle S. Messe secondo le intenzioni dei Salesiani, pregando di lasciare a questi ultimi l'offerta. Si sofferma sul lavoro dei SDB per i giovani e le missioni. [Testo in lingua latina]

MICHAËL RUA

plurimam tibi salutem dicit in Domino.

Etsi mea persona et nomen tibi sunt prorsus ignota, nec ulla, usque adhuc, inter nos relatio per epistolas intercessit; tamen non sum equidem nescius te vera in proximos charitate et ardentissimo animarum zelo flagrare. Ne igitur mireris, si animi tui benignitate fretus, has litteras tibi mittere, quin imo, optimum opus tibi proponere, et gratiam a te postulare ausus sum.

Ferventissimae pietatis matrona, de pia Salesianorum Societate optime merita, enixis precibus nos precatur, ut ingentem missarum numerum celebrare velimus, eo tamen pacto, ut earum eleemosina pro variis Operibus fundatis a Ioanne Bosco, pia recordationis, erogetur.

At cum tam pauci sint Salesiani sacerdotes, ut non sufficient ad susceptum onus implendum, ne matronae charitas frustretur, unicum mihi patet effugium, rem bonis sacerdotibus exponere, et eos suppliciter orare, ut mihi adiutricem manum admoveant.

Vides nunc, benigne lector, quaenam causa me ad tibi scribendum impulit. Placeat tibi respondere si, hoc anno vertente, aliquas ex praedictis missis celebrare possis, et earum eleemosinas pro Salesianis Operibus offerre?


Quae autem sint Opera a Ioanne Bosco fundata, quaeque hac tua eximia charitate perfruentur, jam tibi ex Salesianische Nachrichten perspicuum est; ne graveris tamen, si paucis eadem tibi patefaciam. Primas tenent Salesianorum Collegia, quae huc unice spectant, ut inter pueros, nec non inter adolescentes, religiosas et ecclesiasticas vocationes foveant. Ubertosissimi eorum fructus adeo Pio IX, sanctae memoriae, placuerunt, ut hoc Opus, cui a Maria Auxilio Christianorum nomen est factum, innumeris indulgentiis ditaverit. Nec minoris momenti sunt ea Collegia, in quibus adolescentuli ea arte imbuuntur, qua honeste in posterum vivere possint, etiam

in saeculo, si ad religiosam vitam amplectendam non sunt vocati. Insuper facile concipies quanto zelo et charitate sint fovenda Seminaria, in quibus Missionarii pietate, virtute et studio fiunt apti ad Catholicae fidei fines proferendos inter eos qui, in idololatriae tenebris et in umbra mortis sedent. Demum liceat charitati tuae commendare Missiones Salesianas, in quibus messis est quidem multa, operarii autem pauci, et saepe omni ope destituti. Sacerdoti bene cordato et Dei amore flagranti haec omnia enumerasse est eum ad haec Opera precibus et eleemosinis adiuvanda adhortari; quapropter spero fore ut schedulam, quam tibi mitto, subscribas, ut mihi significes quot missas ad mentem meam sis celebraturus.

Nos vero quotidie in nostris orationibus memoriam tui faciemus, ut omnia tibi prospere cedant, et ut Deus omnibus bonis spiritualibus et temporalibus, intercedente Beatissima Virgine Maria, te adaugeat.

Haec sunt quae tibi pro animarum salute scribere volebam. Quidquid mihi responsurus sis in Domino, me semper in Sacratissimo Corde Jesu tibi addictissimum atque gratissimum habe, et pro me ora.

Datum Augustae Taurinorum in Asceterio Salesiano, die vigesima sexta Januarii, anno MDCCCXCVIII.



AUGUSTAE TAURINORUM — EX TYP. SALESIANA
AN. MDCCCXCVIII.